

sensu composito, sed diviso, id est ablata illa carentia, et ideo illa potentia est remota: idemque in universum invenietur in omni actu possibili in sensu tantum diviso. Si ergo voluntas, positis omnibus praequisitis ad agendum, potest non agere tantum in sensu diviso, non est tunc potentia proxima ad non agendum, sed tantum potentia remota. Ete contrario, quando non habet omnia praequisita ad agendum, non est potentia proxima ad agendum, sed tantum remota; nunquam ergo est potentia proxima ad agendum et non agendum, sed ad alterum tantum. Minor autem seu falsitas consequentis probatur, quia hoc modo tollitur in effectu verus usus libertatis: quia potestas remota revera non exercetur nec reducitur in actum, nisi in statu proximo constituta; ut potestas, quam habet album ut sit nigrum, non reducitur in actum nisi ablata albedine, et quamdiu illa potentia est sub albedine, non exercet actum alterius potestatis, et sic de aliis: ergo si voluntas nunquam est in potentia proxima ad utrumque actum agendi et non agendi, vel agendi hoc aut illud, nunquam exercet potestatem liberam, quia solum eam partem exercet ad quam proxime est preparata. Quod maxime urget rem moraliter considerando; quia non datur usus libertatis, nisi quando operanti imputari potest carentia actionis, et e converso: at vero ad hoc non satis est potentia remota, quae non potest ad proximam reduci per ipsam voluntatem, qualis est illa potestas in sensu diviso; quia, positis omnibus praequisitis ad agendum, quae antecedunt libertatem, non est in potestate hominis cum illis componere carentiam actionis: ergo non potest illi imputari quod tunc non absteinat a tali actione: ergo nec actio ipsa illi potest tribui tanquam libera, id est, tanquam procedens ex dominio agendi et non agendi; ut ergo per illam descriptionem vera libertas explicetur, oportet ut in sensu composito intelligatur.

12. *Tertia assertio subterfugia praeccludens.* — Dico, tertio, descriptionem intelligendam esse de omnibus praequisitis, sive ex parte Dei, sive ex parte aliarum causarum, et nisi ita intelligatur non satis definiri libertatem, ut in actum liberum in ipso usu prodire possit. Haec assertio solum ponitur propter priorem partem: nam de altera non est controversia. Est autem juxta mentem antiquorum doctorum, qui descriptionem illam tradiderunt, vel ut certam supposuerunt: quia nec Dei concursus aut voluntatem ab illa excipiunt, sed pu-

tant vel non pertinere ad illa praequisita, vel, si aliquo modo pertinet, cum illa et aliis, ut antecedunt, posse componi tam agere quam non agere divisim sumpta, ut videre licet in Corduba supra, et aliis quos ipse refert; et propterea dicere etiam solet non posse eundem effectum esse simul evitabilem in ordine ad causam secundam, et inevitabilem in ordine ad primam, ut sensit Cajetan., 1 part., q. 21, art. 4; et Vualden., lib. 1 Doctrin. fidei, capit. 28; Occam in 1, distinction. 38, quaest. 4; Gregor., quaest. 22, art. 3; Gabr., art. secundo. Et propterea, cum tota controversia versetur circa concursus vel motionem divinam, in illa sola limitare generalem assertionem, videtur esse quaedam petitio principii, vel aperta destructio, ac negatio illius axiomatis. Ratione idem ostenditur, quia omnia quae generaliter diximus de praequisitis ad agendum aequae procedunt de omnibus et singulis praequisitis, sive ex parte Dei, sive ex parte aliarum rerum vel causarum necessaria sint, et sive dicantur esse aliquid requisitum in ipsa voluntate, sive in intellectu, sive in alia quacumque re, quae ipsam voluntatem moveat ad agendum, et sive talis motio dicatur esse propria causa efficiens volitionem, sive sit necessaria conditio sine qua non staret fieri talem actum, et, illa posita, staret non fieri, dummodo sermo semper sit de solis et propriis praequisitis, id est, ita requisitis ut omnino praecedant aliquo modo causalitate, et ordine naturae in causalitate fundato, usum liberum voluntatis: nam de concomitantibus quae involvunt liberum usum non loquimur, ut capite sequenti declarabimus. Assumptum ergo sic declaratum probatur, specialiter de illo requisito ex parte Dei, quod a generali descriptione excipitur, et vocatur motio Dei. Nam si illa motio est unum ex praequisitis, et simpliciter necessaria ut voluntas operetur, et illa posita non manet in voluntate potestas ad non operandum, nisi in sensu diviso, ergo, illo praequisito posito, non est voluntas in potentia proxima ad non operandum, sed tantum in remota, quia oportet prius illam motionem auferri ab illo qui illam posuit: nam ipsa voluntas non potest illam auferre, quia sicut non fuit facta ab illa, ita neque ab illa pendet, nisi ut a subjecto recipiente, in cuius potestate non est duratio passionis, sicut nec inceptio ejus, ut cap. 2 probatum est: ergo illa potentia in sensu diviso non est potestas ad liberum usum sufficiens, quia liber usus non est nisi a potestate proxima, ut etiam probavi.

Ergo in voluntate sic mota non manet libertas non agendi, et consequenter neque ipsum operari liberum est. Et eadem ratione, quamdiu illa motio non datur voluntati, solum est in potentia remota, et ex parte receptiva ad agendum, quia oportet ut prius recipiat illam motionem, quae non est in potestate ejus activa, sed receptiva tantum: ergo tunc non est in potestate libera non agendi, sed in necessitate et impotentia agendi. Ergo, ut salvetur libertas, etiam respectu divinae motionis praevisae requisitae, necessarium est ut, illa etiam posita cum aliis praequisitis, maneat potentia in sensu composito ad agendum et non agendum.

13. *A simili confirmatio.* — Confirmatur et explicatur a simili de potentia, verbi gratia, scribendi, quae est in manu: illa enim de se est etiam potentia non scribendi, et nihilominus libera non est, quia nec potest scribere sine actione voluntatis, nec, posita motione voluntatis, potest in sensu composito non scribere, licet in sensu diviso et remote possit, utique si voluntas motionem auferat: ergo, simili modo, si voluntas non potest velle nisi mota a Deo, et posita motione non potest cum illa componere carentiam volitionis, licet in sensu diviso, id est, ablata motione, possit non velle, non magis est potentia libera quam potentia motiva quae est in manu. Simile est de intellectu quoad potentiam assentiendi et dissentendi per fidem: nam in hoc non est formaliter liber, quia nec assentit nisi motus a voluntate, neque si ab illa moveatur, potest non assentire in sensu composito, sed in diviso: quae divisio (ut sic dicam) non est in ejus activa potestate. Ergo si ita comparatur voluntas hominis ad motionem Dei praevisam, ut sine illa non possit velle, et illa posita non possit non velle nisi in sensu diviso, qui non est in ejus potestate activa, profecto non est magis libera voluntas, quam intellectus, quia non potest ipsa active tollere motionem Dei, sicut non potest eam parere. Quid enim interest, quod una motio sit a voluntate creata, et alia ab increata? Profecto haec magis officit libertati: quia motio voluntatis increatae efficacior est et intimior, magisque per se influens in effectum.

14. *Adversantium responsio.* — *Impugnatur.* — Respondent constituendo discrimen, quia voluntas creata, licet sit mota a Deo, retinet intrinsicam potestatem non eliciendi talem actum, si velit, quod non habet intellectus nec alia potentia naturaliter agens. Sed hoc

non potest satisfacere. Primo, quia illa potestas intrinseca ad non eliciendum actum, quae dicitur manere in voluntate mota a Deo, vel est ad non eliciendum actum in sensu composito, id est, sustinendo actum non obstante motione, et illa simul stante: et in hoc sensu optimum est discrimen, tamen per illum datur nobis quod intendimus. Vel illa potentia est tantum in sensu diviso, et sic eadem profecto est in potentia motiva et in intellectu, quia si motio voluntatis cesset, ex intrinseca natura tallum potentiarum est, ut actum non eliciant, quia natura sua ita subordinantur voluntati quoad tales actus, ut si ab illa non applicentur, illos non eliciant; multo autem magis dicitur pendere voluntas hominis ab actuali applicatione et praemoveatione Dei: ergo sub illa motione non magis habet potentiam intrinsicam non volendi, quam intellectus vel manus sub motione voluntatis. Unde fit ut, sicut non posita motione voluntatis, non solum potest intellectus non assentiri vel manus non moveri, sed etiam necessario non assentit nec movetur, ita juxta illam sententiam, non posita motione Dei, voluntas necessario non vult; ergo non vere dicitur in sensu diviso, id est, ablata motione, posse non operari, si velit; sed dicendum est ablata motione necessario non operari. Nam sicut non potest componi carentiam operationis cum motione, ita non potest componi operatio cum carentia motionis. Declaratur a simili; nam, ablata cognitione, non recte dicitur voluntas posse ab intrinseco carere volitione, si velit, sed dicendum potius est non posse velle, et necessario non velle: sed non minus necessaria est (juxta illam sententiam) ad volendum motio Dei quam motio intellectus: ergo in illo sensu diviso, id est, si motio Dei desit, non habet voluntas potestatem non operandi, si velit, sed est in potentia necessario non volendi, quae (ut supra dicebam) est quaedam impotentia volendi. Quapropter illa particula *si velit*, nullo modo potest ibi locum habere, quia, ablata motione Dei, non potest homo velle: ergo cum dicitur *si velit*, ponitur conditio impossibilis. Aut enim illud *si velit* intelligitur de voluntate directe per actum positivum volendi suspendere alium actum, et hoc dici non potest, quia neque id est necessarium ad non agendum libere, ut est probabile, nec illud est possibile in illo sensu diviso, id est, ablata motione Dei: vel intelligitur de voluntate indirecta, et tunc supponi debet proxima potentia volendi, quae non est sine motione

Dei, quia adhuc voluntas est ex parte in potentia tantum receptiva: ergo tunc non habet locum conditio *si velit*, quia non voluntarie, sed necessario caret voluntatis actu, quia a Deo non movetur.

15. Est igitur eadem ratio de quolibet requisito ex parte Dei, quæ est de aliis causis. Nam si tale est requisitum ex parte Dei, ut cum illo non sit potentia non agendi nisi in sensu diviso, revera non est potentia suspendendi volitionem per intrinsecum dominium in illam, sed per quamdam impotentiam, quia si auferatur illud requisitum, sine illo non potest velle, sicut non potest operari sine concursu Dei. Et similiter potentia illa in sensu diviso, etiamsi sit respectu præmotionis necessariæ ex parte Dei, est tantum potentia remota, quia debet prius auferri motio Dei, ut talis potentia reducat in actum non volendi, et auferre illam motionem non est in potestate ipsius voluntatis, quia ad illam solum passive se habet. Unde etiam hic habet locum illa ratio, quod nec possit imputari homini carentia volitionis, quando non recipit motionem Dei, quia ante motionem non est in potentia proxima, et non habet in sua potestate motionem, per quam in proxima potentia constituatur, sed solum est ad illam in potentia passiva, et ita non potest illi imputari, quod illam non habeat; et post motionem non potest voluntati moraliter tribui quod actum non suspendat, vel quod suum influxum non contineat, quia posita motione non potest, et illa motio ponitur sine influxu ejus. Ergo, ad veram libertatem salvandam, sensus compositus universaliter et sine exceptione necessarius est respectu omnium, quæ proprie sunt prærequisita ad agendum, sive ex parte causarum secundarum, sive ipsius Dei.

16. *Opposito fundamento fit satis.* — Ad fundamentum contrariæ sententiæ, negamus priorem partem de concursu prævio; sufficit enim simultaneus, qui, ut in re ipsa datus, non est ex prærequisitis ad volendum, sed est concomitans, et cum illo involvitur usus libertatis. Ut vero est tantum in actu primo, est ex prærequisitis: verumtamen cum illo, in eo statu posito, seu oblato ex parte Dei, potest simul componi carentia actus ad quem supponitur concursus in actu primo oblatus. Et eodem modo dicendum est ad alteram partem de voluntate Dei. Concedimus enim aliquam voluntatem Dei esse præviam ad volitionem hominis, et nihilominus dicimus cum illa posse simul componi, tam non agere quam age-

re, quia non oportet ut sit voluntas absoluta, quod talis actus fiat et in rerum natura ponatur, ut recte dixit Soto 1 de Natura et gratia, cap. 16; sed sufficit voluntas concurrenti cum libero arbitrio hominis ad hunc vel illum actum, si ipse cooperari velit, quod semper relinquatur in manu et potestate ejus: unde merito graves theologo dixerunt, licet voluntas Dei ex æternitate antecedit, nihilominus volitionem ejus, ut determinatur ad volendum concurrere cum voluntate creata ad talem actum, non esse voluntatem præcedentem, sed concomitantem. Hæc autem concomitantia videtur consistere in objecto illius voluntatis divinæ, qua vult concurrere cum humana, quia per illam volitionem non vult actum voluntatis humanæ simpliciter et absolute, sed ut efficiendum ab eadem voluntate humana, et quasi sub conditione, si voluntas ipsa humana velit cooperari, et ideo talis voluntas Dei nihil operatur per se sola, neque prius quam voluntas creata simul efficiat; et ita facile intelligitur quomodo illæ duæ voluntates simul jungantur ad eandem actionem; nam voluntas divina ex æternitate est quasi præparata, et habet applicatam potentiam suam ad coagendum cum voluntate humana. Unde quando in tempore voluntas humana pro libertate sua conjungitur divinæ, simul efficiunt.

CAPUT IV.

UTRUM VOLUNTAS EXPOSITA, CUM OMNIBUS PRÆREQUISITIS EX PARTE INTELLECTUS AD LIBERE VOLENDUM, POSSIT A DEO ITA MOVERI UT EX NECESSITATE ET NON LIBERE VELIT?

1. *Questionis declaratio.*—Hujus questionis resolutio ad declarandam amplius rationem libertatis, et ad explicandam postea concordiam libertatis cum motionibus gratiæ multum conferre potest, et ideo illam hoc loco præmittere visum est. Loquor de voluntate habente ex parte intellectus actu propositum objectum eo modo, quo ad libere volendum necessarius sit, et ex natura rei sufficiat: nam si intellectus perturbetur, aut subito et sine sufficienti iudicio ac deliberatione rapiatur, non est dubium quin voluntas possit ex necessitate sine libertate moveri, non solum miraculose aut per gratiam, sed etiam ex interno impetu, ut in motibus primo primis juxta communem doctrinam contingit. Deinde necesse est ut per integrum intellectus iudicium

proponatur objectum de se indifferens, id est, quod nec representetur clare ut summum bonum homini simpliciter necessarium, neque etiam ut bonum quod ad finem actu intentum simpliciter necessarium sit. Et per hoc excluditur tam absoluta necessitas ab intrinseco, quæ potest esse in actu voluntatis circa summum bonum clare visum, quam necessitas ex suppositione, quæ potest esse in volitione mediæ necessarii ex intentione finis, quamvis hæc non sit absoluta necessitas, nisi etiam intentio finis absolute necessaria sit. Denique per hoc excluditur omnis necessitas, quæ ab intrinseco ex natura illius provenit. Unde quæstio solum est de necessitate ab extrinseco, id est, an, stante tali iudicio rationis quo voluntas libere ex se moveretur, fieri possit ut, ab aliquo agente extrinseco, in tale objectum sic propositum ita impellatur, ut non libere sed necessario illud amet vel aversetur. Et quoniam de fide certum est nullam causam creatam spiritualem vel celestem habere hanc vim in voluntatem, de solo Deo quæstio tractatur.

2. *Duplex necessitas.*—Distinguenda præterea est necessitas a coactione, nam, ut supra dixi, coactio addit ultra necessitatem, quod sit motus contra internum appetitum vitalem, et quia sub hac ratione repugnat actui voluntatis, cum intrinsece et per se voluntarius sit, ideo communiter docent theologo non posse voluntatem ad actus elicitos cogi: nam, eo ipso quod illos elicit, voluntarii simpliciter sunt, quia non potest velle quin velit, nec potest nolle quin implicite velit nolle. Denique distinguenda est necessitas quoad exercitium a necessitate quoad specificationem; nam de hac posteriori nulla est quæstio, quia facile potest Deus necessitare voluntatem quoad specificationem, negando concursum ad omnem aliam speciem actus præter unam: sicut etiam dici potest necessitare voluntatem quoad individuationem, non offerendo concursum, nisi ad unum individuum. Et ratio est, quia hæc posterior necessitas non est absolute agendi aut volendi, sed conditionata agendi hoc, si voluntas agere velit; unde absolute est necessitas non agendi aliquos actus, quæ facile potest esse in voluntate creata ex voluntate divina, non solum quoad has vel illas species actuum, sed etiam absolute ad omnes, quia potest Deus negare voluntati concursum ad omnem actum, et tunc ex necessitate nullum eliciet, sicut ignis ex necessitate non calefacit, Deo negante suum concursum. Eodem ergo

modo potest Deus, negando voluntati concursum ad alias species actuum, coarctare illam ut solum in una specie possit elicere actum, si velit, et hoc est necessitare illam quoad specificationem: quæstio ergo nostra est de necessitate quoad exercitium.

3. *Prima opinio.*—Prima opinio negat posse Deum necessitare voluntatem, stante iudicio rationis, quo ita proponatur objectum ut voluntas, sibi relicta, illud amare vel non amare aut etiam odisse potuisset. Hanc sententiam intendit Bannez 1 part., quæst. 19, art. 10, dub. 1, in fine, § *Sed dices*. Nam, licet illam sub dictis specialibus verbis non tradat, comprehendit sub generalibus, quibus, ex eo quod libertas voluntatis oritur ex indifferentia iudicii rationis, sic infert: *Ex prædictis colligimus corollaria. Primum est: Quotiescumque actus voluntatis oritur ex prædicta radice iudicii, semper erit liber. Unde rursus colligo: Quidquid antecesserit, vel commitabitur, vel supervenerit ad actum voluntatis, si non tollat iudicium illud mediæ circa finem, non destruet libertatem operationis.* Ubi nihil excipit, etiamsi hæc a Deo proveniant, imo statim expresse ita rem explicat, et ex illo principio dissolvendas putat omnes difficultates, quæ in concordia libertatis nostræ cum providentia et gratia divina concurrere solent. Et hanc doctrinam secutus est Cumeus in eodem art. 10, in Appendice de libero Arbitrio, concl. 2, et P. Alvarez, disput. 126, concl. 5, expresse declarans Deum non posse necessitatem inferre voluntati, stante iudicio rationis de se indifferente; eandem sententiam tradere videtur P. Vasquez, 1 part., disput. 99, cap. 8, et alibi sæpe: excipit tamen voluntatem humanæ naturæ hypostatice unitæ Deo, et ex diverso fundamento procedit, ut videbimus.

4. Priores ergo auctores concedunt posse Deum, stante iudicio mentis ex se indifferente, ita præmovere voluntatem, et efficaciter ad unam partem determinare, ut illa non possit resistere; nihilominus tamen dicunt non necessitare illam necessitate contraria libertati, ac proinde non posse illam necessitare: quia si posset, posset maxime illo modo: sed illo modo non necessitat: ergo. Minor probatur primo, quia, non obstante illa motione, actus elicitur a voluntate cum indifferentia rationis et iudicii: sed in hoc salvatur definitio libertatis; ergo ille actus libere fit. Secundo, probatur idem, quia libertatem actus non excludit nisi necessitas absoluta: sed